

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

*Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 2, Liber 1: De iustitia et pertinentibus ad eam et de contrariis

De iustitia equitate et iniquitate: Rubrica prima

Iob hystoria capitulo 11. Si iniquitatem que est in manu tua abstuleris a te et non manserit in tabernaculo tuo in iustitia: tunc leuare poteris faciem tuam absque macula: et eris stabilis et non timebis. Capitulo 12. Diridetur iusti simplicitas: lampas contempta apud cogitationes diuitum: parata ad tempus statutum. 36. capitulo. Nec multitudo donorum te inclinet. Caue ne declines ad iniquitatem: hanc enim cepisti sequi post miseriam.

In leuitico capitulo 19. Non facies quod iniquum est.

Moyses in deuteronomio capitulo 24. Non occidentur patres pro filiis: nec filii pro patribus sed vnusquisque pro suo peccato moriatur.

Psalmista psalmo 10. Qui diligit iniquitatem **odit** animam suam. 33. psalmo. Oculi domini super iustos: et aures eius in preces eorum. 36. Noli emulari in eo qui prosperatur in via sua in homine faciente iniustitias. Confirmat iustos dominus. Iustus miseretur et tribuet. Cum ceciderit iustus non collidetur: quia dominus supponit manum suam. Iusti hereditabunt terram et inhabitabunt in seculum seculi super eam. Considerat peccator iustum: et querit mortificare eum: dominus autem non derelinquet eum in manibus eius. Custodi innocentiam et vide equitatem. 61. psalmo. Noli sperare in iniquitate. 84. psalmo. Iustitia et pax osculate sunt. Ueritas de terra orta est: et iustitia de celo prospexit. 111. psalmo. In memoria eterna erit iustus: ab auditione mala non timebit iustus.

Salomon in prouerbiis capitulo 4. Ne declines ad dexteram neque ad sinistram: auerte pedem tuum a malo. Capitulo 10. Benedictio domini super caput iusti. Memoria iusti cum laudibus. 11. capitulo. Iustitia rectorum liberabit eos. In insidiis suis capientur impii. Capitulo 12. In semita iustitie vita. Capitulo 13. Iustitia custodit innocentis viam. Iustis retribuentur bona. 14. capitulo. Iustitia eleuat gentem: miseros facit populos peccatum. Domus impiorum delebitur: tabernacula iustorum germinabuntur. Capitulo 15. Qui sequitur iustitiam diligitur a domino. Capitulo 16. Initium vie bone facere iustitiam. Iustitia firmatur solium. 24. capitulo. Septies cadet iustus et resurget.

Esaïas propheta capitulo 5. Uhe qui iustificatis impium pro muneribus: et iustitiam iusti aufertis ab eo. 26. capitulo. Semita iusti recta est: rectus callis iusti ad ambulandum.

Hieremias propheta in libro prophetiarum capitulo 22. Uhe qui edificat domum suam in iniustitia.

Aristoteles ethicorum libro 5. capitulo i. Preclarissima virtutum esse videtur iustitia: et neque esperus neque lucifer ita admirabilis. Capitulo 5. Iustitia est habitus secundum quem iustus dicitur operatius secundum electionem iusti. Non est iniustitia ad seipsum. Capitulo 6. Politici

Commented [CN1]: fol.24rb

iusti hoc quidem naturale est: hoc autem legale: naturale quidem est quod vbique habet eandem potentiam: et non invideri vel non: legale autem quod ex principio quidem nihil differt. Capitulo 7. Iniustum patitur nullus volens. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 61. Melius est iustum quod secundum naturam est: eo quod est secundum legem. 64. capitulo. Iniustum pati ledi est. Libro 2. capitulo 6. Iniustitia est in lesione: lesio autem in priuatione bonorum. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 13. Iustitia est virtus propter quam que sua sunt singuli habent: et vt lex. Iniustitia autem propter quam aliena non vt lex. Capitulo 15. Iustum honestum est. Capitulo 18. Iniustitiam facere est ledere nolentem preter legem. Capitulo 23. Iniustitie sunt quecunque non inopinata a malitia autem sunt. Capitulo 25. et finali. Deierare: iniustum facere est. Libro 2. capitulo 5. Non fit ira ad iustum. Capitulo 8. Iniusta pati ire factium est. Diuinum arbitratum auxiliari iniusta patientibus. Idem politicorum libro i. capitulo i. Sicut perfectum optimum animalium est homo: sic separatam a lege et iustitia pessimum omnium. Capitulo 2. Iustum violentum non est. Libro 3. capitulo 7. Communicatiuam virtutem dicimus esse iustitiam cui necessarium est omnes alias assequi. Capitulo 9. et penultimo. Iustum querentes medium querunt. Libro 5. capitulo 6. Quod iustum est equale videtur esse. Libro 6. capitulo 2. Semper querunt quod iustum et quod equale est qui minores sunt: preeminentes autem nihil curant. Libro 7. capitulo i. Iustus nullus neque temperatus a fortuna: neque propter fortunam est.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 28. scilicet de aristotele. Aristoteles iustitiam ait virtutem anime distributiuam digni.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 4. Pro iustitia agonizare pro anima tua: et vsque ad mortem certa pro iustitia: et deus expugnabit pro te inimicos tuos. Capitulo 5. Prosequatur te verbum pacis et iustitie. Iustificata pusillum et magnum similiter. Capitulo 10. Execrabilis omnis iniquitas gentium. Regnum a gente in gentem transfertur propter iniustitias et iniurias et contumelias et diuersos dolos. Capitulo 20. Qui operatur iustitiam ipse exaltabitur.

Pylon in libro sapientie capitulo i. Iustitia est perpetua et immortalis. Iniustitia est mortis acquisitio. 3. capitulo. Nationes inique dire sunt consummationis.

Terentius in heautontimeramenon capitulo 18. Ius summum sepe summa malitia est.

Salustius in catilinario: Labore ac iustitia res publica crescit.

Tullius rethoricorum artis veteris libro 2. capitulo 9. Iustitia est habitus animi communi vtilitate conseruata: suam cuique tribuens dignitatem. Initium iustitie est a natura profectum: deinde quedam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt. postea res et a natura profectas et a consuetudine probatas legum metus et religio sancit. Idem rethoricorum artis noue libro 3. capitulo 2. Iustitia est equitas ius vnicuique retribuens pro dignitate cuiusque.

Mattheus in euangelio capitulo 5. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum celorum.

Paulus apostolus in epistola ad timotheum capitulo. Sectare iustitiam: pietatem: fidem: charitatem: patientiam: mansuetudinem. Idem in epistola 2. ad timotheum capitulo 2. Sectare iustitiam.

Commented [CN2]: fol.24va

Commented [CN3]: fol.24vb

Lex digestorum titulo de iustitia et iure. l. iustitia. Iustitia est constans et perpetua voluntas: ius suum cuique tribuens. Titulo quod quisque iuris etc. libro i. Quis aspernabitur idem ius sibi dici quod ipse aliis dixit: vel dici efficit. Quod quis in alterius persona equum esse credit: id in sua quoque persona valere patiat. Titulo de regulis iuris. l. in scripta. In omnibus quidem: maxime tamen in iure equitas spectanda est.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 5. Quid est iustitia nisi nature tacita conuentio in adiutorium multorum inuenta. Quid est iustitia nisi nature constitutio seu lex diuina et vinculum societatis humane. Quisquis iustitiam sectari desideras time deum prius et ama: amaris a deo. Amabis deum si illum in hoc imitaberis: vt velis omnibus procedere nulli nocere: et tunc te iustum virum appellabunt omnes: sequentur venebuntur et diligent: sicque merito iustus appellaberis. Iustus vt sis non solum non nocebis: sed etiam nocentem prohibebis.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo 19. Equitas imperia confirmat: iniustitia dissoluit.

Cecilius firmanus de beata vita: libro 3. Nunquam potest esse iustus qui stultus est: neque sapiens qui fuerit iniustus. Libro 4. In hoc **iustitie** summa consistit: vt non facias alteri quicquid ipse ab altero pati nolis.

Commented [CN4]: fol.25ra

Augustinus in epigrammata prosperi 74. emp. In magna egestate sunt diuites iustitie inopes.

Macrobius de somno scipionis libro i. in principio. Sine iustitia non solum res publica sed nec exiguus hominum cetus: nec quidem parua domus constabit.

Cato capitulo i. Illud stude agere quod iustum est.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 10. Obtemperare iustitie summa libertas est. Libro 4. capitulo i. Imperante florenteque nequitia virtus non solum premiis caret: verumetiam sceleratorum pedibus subiecta calcatur: et in loco facinorum supplicia luit.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 10. Nimis absurdum est: vt quos pena meruit consumere etiam sibi lucra valeant vendicare. 26. epistola. Satis absurdum est vt affligatur damnis qui commoda non habet actionis. Libro 3. epistola 11. Iusta sequere. Epistola 13. Nescit personas respicere: qui meram cogitat equitatem. Epistola 24. Acquiescite iustitie: qua mundus letatur. Epistola 27. Tamdiu iudex dicitur: quamdiu et iustus putatur. Epistola 41. Tolerabile fit omne quod equali ordinatione disponitur: quia diuisum onus sub communione subiectos certum est non grauare. Libro 4. epistola 10. Furentes iusta non sentiunt: quia dum commoti animo in vindictam seuiunt: rerum temperantiam non requirunt. Epistola 14. Magni peccati genus est alienis debitis alterum pregrauare. Sua quemque damna respiciant. Libro 6. epistola 5.

Theodoricus rex ait: Pro equitate seruanda et nobis patimur contradici: cui etiam obediri oportet. Libro 7. epistola 8. Quicquid non discutitur: iustitia non putatur. Epistola 26. Iustitiam ita cunctorum sensibus beneficium diuinitatis attribuit: vt et qui nesciunt iura rationem tamen veritatis agnoscant. Libro 8. epistola 20. Ultra omnes impietates est: nocere lesos qui sanare creditur vulneratos. Libro 9. epistola 2. Uix audet quisquam in illos accedere: in quibus culpas non potest inuenire. Epistola 10. Nullum ledit obseruata iustitia. Epistola 15. Omnia decet sub ratione moderari: nec possunt dici iusta **que** nimia sunt. Epistola 20. Intelligimus de inopia iustitie cupiam venire causarum. Libro 11. epistola 13. Predoni similis est qui sub iniqua cupit

Commented [CN5]: fol.25rb

voluntate distrahere: vtrosque enim constat aliena diripere: et considerationem iustitie non habere. Libro 12. et finali epistola 2. Iustitia omnes clarificat: quos sui participatione sublimat. Omni laude decoratur: qui iustus edicitur. Epistola 3. Iustitiam nimis diligunt: qui frequenter prelia tractauerunt. Idem de anima capitulo 7. Aduersum praua vel iniqua iustitie minime obiectum est.

Montenarius in luna cleri capitulo 133. Gens sine iustitia: sine remige nauis in vndis.

Prouerbum vulgare. Gual soma non rompe dosso.

#### De bonitate et prauitate: Rubrica 2

In genesi capitulo 8. Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

Psalmistia 9. psalmo. Cuius maledictione os plenum est et amaritudine et dolo: sub lingua eius labor et dolor. Psalmo 13. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Psalmo 25. In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus. Psalmo 33. Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos. Prohibe linguam tuam a malo: et labia tua ne loquantur dolum. Diuerte a malo et fac bonum: inquire pacem et sequere eam. Psalmo 36. Considerat peccator iustum: et querit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius. Psalmo 51. Quid gloriaris in malitia: qui potens es iniquitate.

Solomon in prouerbiis capitulo i. Si te lactauerit peccatores: ne acquiescas eis. Capitulo 3. Noli prohibere benefacere eum qui potest. Si vales et ipse bene fac. Capitulo 15. Non amat pestilens eum qui se corripit: nec ad sapientes graditur. Capitulo 16. Uir impius fodit malum: et in labiis eius ignis ardescet. Capitulo 21. Anima impii desiderat malum. Capitulo 22. Arma et gladii in manu peruersi: custos autem anime sue longe recedet ab eis. Capitulo 29. Abominantur impii eos qui in recta sunt via.

Plato in menone vltra medium: Non natura boni: fiunt itaque disciplina. Circa finem: Neque boni natura erunt quidem.

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 4. Nullus est bonus: qui non gaudet bonis operationibus. Libro 2. capitulo 4. Boni vel mali non efficitur natura. Capitulo 5. Boni quidem simpliciter sunt: multifarie autem mali. Libro 3. capitulo 2. Ignorat omnis malus que oportet operari: et a quibus fugiendum: et propter tale peccatum iniusti et vniuersaliter mali fiunt. Non in electione est ignorantia causa in voluntarii est: sed malitie neque que vniuersalis. Libro 5. capitulo i. Pessimus quidem est qui et ad seipsum et ad amicos vtitur malitia. Libro 9. capitulo 9. Boni operatio studiosa est: et delectabilis secundum seipsam. Studiosus secundum quod studiosus his que secundum virtutem sunt actionibus gaudet: his autem que a malitia tristatur. Idem magnorum moralium libro 2. capitulo 7. In exterioribus bonis que circa corpus sunt superabundantia facta peiores facit: puta diuitie multe facte: despectores et fastidiosos facit: similiter aut et in aliis bonis: principatu honore: pulchritudine: magnitudine. Honor magnus factus: peiores facit. Capitulo 8. Sunt tria que fiunt in anima: secundum que praua dicuntur: malitia: incontinentia:

Commented [CN6]: fol.25va

bestialitas. Capitulo 9. Bestialitas est abundans quedam malitia: quoniam enim aliquem vidimus omnino prauum: non hominem dicimus esse sed bestiam. Capitulo 75. Prauus nunquam est idem sibiipsi. Idem rethorice libro i. capitulo 20. Bene facere et bene pati delectabilium est. Bene pati quidem enim est adipisci eorum que concupiscunt. Capitulo 16. Oportet bonos honerari. Idem politicorum libro 7. capitulo 10. Boni et studio si fiunt per tria. Tria autem hec sunt: natura: consuetudo: ratio. Idem priorum ante libro 2. capitulo 70. Sapientes boni sunt.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 2. Uhe manibus malefacientibus. Capitulo 27. Narratio peccantium odiosa: et risus illorum in delictis peccati.

Oratius in epistolis: epistola 17. Oderunt peccare boni virtutis amore. Tum nihil admittes in te formidine pene.

Commented [CN7]: fol.25vb

Oratius de tristibus libro 2. epistola vnica. Omnia peruersis: possunt corrumpere mentes. Idem de fastis libro i. Est aliquid magni crimen abesse malis.

Mattheus in euangelio capitulo 7. Omnis arbor bona: fructus bonos facit: mala autem arbor fructus malos facit: non potest arbor bona fructus malos facere: neque arbor mala fructus bonos facere.

Ioannes apostolus in euangelio epistola secunda capitulo vnico. Noli imitari malum: sed quod bonum est. Qui bene facit: ex deo est: qui male facit: non videt deum.

Paulus in epistola ad galathas capitulo 6. Bonum facientes: non deficiamus. Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes: Maxime autem ad domesticos fidei. Idem in epistola ad romanos capitulo 12. Noli vinci a malo: sed vince in bono malum.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 17. epistola 2. Ad deteriora faciles sumus. Omnibus crimen suum voluptati est. Libro 20. et finali epistola 6. Nemo est casu bonus: discenda virtus est. Idem de beneficiis libro 5. In animis voluntas bona: sed occupatur modo delictis ac situ: modo officii inscitia. Idem de clementia: Ubi discrimine inter bonos malosque sublatum est: confusio sequitur et vitiorum eruptio.

Iuuenalis libro i. satira 4. Nemo malus felix.

Lex codicis titulo de episcopis et clericis l. presbyteri: Multomagis pena sunt digni: quibus complurimum honoris delatum est: si occulto inueniantur in crimine. Lex auctentica titulo de nuptiis. §. si igitur secundum theodosii: Multe hominibus ad malitiam vie sunt.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Pidare nil sceleris homo nequam prorsus aborret.

Augustinus in epigrammata prosperi 42. emp. Nihil est infelicius infelicitate peccantium: qua penalis nutritur impunitas: et mala voluntas corroboratur velut hostis interior. 46. emp. Sine aliquibus bonis operibus vita cuiuslibet pessimi hominis difficile inuenitur. 75. emp. Non sufficit abstinere a malo nisi fiat quod bonum est.

Prosper sub 7. emp. Et quidam recti constat inesse malis. Sub 42. emp. Qui se peccatis gaudet feliciter vt. Infelix nimis est prosperitate sua. Dumque capit miseros: effectus praua voluntas. A vera semper luce fit exterior.

Commented [CN8]: fol.26ra

Cato capitulo 3. Indulget fortuna malis vt ledere possit.

Boetius de consolatione libro i. capitulo 8. Uidere videor nefarias sceleratorum officinas gaudio letitiaque fluentes: perditissimum quemque nouis delationum fraudibus imminente: iacere bonos flagitiosum quemque ad audendum quidem facinus impunitate: ad efficiendum vero premiis incitari. Insontes autem non modo securitate: verum ipsa etiam defensione priuatos. Itaque libet exclamare. Libro 4. capitulo 5. Quantumlibet seuiant mali: sapienti tamen corona non decidet nisi ardescet: neque probis animis proprium decus aliena decerpit improbitas. Cum ipsum bonum beatitudo sit: bonos omnes eoipso quod boni sint fieri beatos liquet. Capitulo 7. Infeliciores esse necesse est malos cum cupita perfererint quam si ea que cupiunt implere non possint. Capitulo 11. Ut probis atque improbis nullum fedu est: ita ipsi inter se improbi nequeunt conuenire. Quid enim cum semetipsis discrepantibus conscientia vitiis: improbi quique dissentiant.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 11. Ad tramitem recti hortentur te facta seniorum admoneat lectionis auctoritas. Libro 5. epistola 27. Bonos laus: malos querela comitatur. Libro 6. epistola 20. Habent et boni pauperes diuitias suas. Ignorantes accipiunt: qui bene agunt. Libro 10. epistola 6. Ornamentum omnium bonorum est syncera benignitas. Capitulo 11. Benigna dilige.

Gregorius in pastorali capitulo 38. Bona per semetipsa amanda sunt: et non penis compellentibus exequenda: nam qui propterea bona facit quia tormentorum mala meruit: vult non esse quod metuat vt audenter committat illicita. Capitulo 47. Quo quisque melius sapit eo deterius delinquit. Malorum cum incaute amicitiiis iungimur: culpis ligamur.

Commented [CN9]: fol.26rb

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. Esse magis bonus quam videri stude.

Auctor libelli qui dicitur pamphilus capitulo 22. Semper iniquorum scelus impedit acta bonorum.

Iacobus beneuentanus capitulo 48. Nobilis est bonitas premo que dat honorem. Et possessorem subleuat vsque suum. Prebet opus bonitas: sed opes non dant bonitatem. Omnia precellit bonitas: que rara videtur. Tempore presenti: vix bonus vllus adest.

Ricardus iudex venusinus: libelli de pertrac. nup. capitulo 45. Frenari feritas a feritate solet.

### De conscientia benignitatis et malignitatis: Rubrica 3

Oratius epistolarum libro i. epistola i. Hic murus eneus extat: Nil conscii sibi: nulla pallescere culpa.

Tullius de senectute: Conscientia bene acte vite multorumque beneficiorum recordatio iocundissima est. Idem tusculanarum questionum libro 2. Nullum theatrum virtute et conscientia maius est.

Ouidius de fastis libro i. Conscientia mens vt cuique sua est sic concipit intra. Pectore profecto spemque metumque suo. Libro 4. Conscientia mens recti fame mendacia ridet. / Sed nos in vitium credula turba sumus.

Seneca in prouerbiis. Plerique famam: conscientiam pauci verentur.

Paulus apostolus epistola 2. ad corinthios capitulo i. Gloria nostra hoc est testimonium conscientie nostre.

Statius thebaidos libro 2. O semper timidum scelus.

Iuuenalis libro 2. satira i. Cui frigida mens est / Criminibus tacita sudant precordia culpa.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 6. Ibis ad occultos tramites loca deuia mundi / Peccatum tecum est: conscientie culpa comes. / Alterius censor: censor et esto tuus.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo i. Uitam beatam efficiunt tranquillitas conscientie et securitas innocentie.

Augustinus in epigrammata prosperi 8. emp. Bona conscientia tranquillum facit animum.

Commented [CN10]: fol.26va

Macrobius de somno scipionis libro 2. et finali. Uirtutis fructum sapiens in conscientia ponit: minus perfectus in gloria.

Cato capitulo 2. Conscius ipse sibi: de se putat omnia dici.

Cassiodorus epistolarum libro 7. capitulo 32. Totum vitiosum geritur vbi conscientie puritas non habetur. Libro 8. epistola 18. Sicut conscientia leta est que prouehitur meritis: ita sub reatu iacet qui se imparem cognoscit muneribus consecutis. Libro 11. capitulo 8. Quid acquiri putatur vbi conscientia bona perditur.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 3. Deus conscientias iudicat. Capitulo 37. Etsi non te damnet publica fama: condemnat propria conscientia. Capitulo 38. Conscientia rei semper in pena est. Mens male conscientie propriis agitatur stimulis.

Prouerbiium vulgare. Lamore guasta la consciencia.

#### De innocentia: Rubrica 4

Iob historia capitulo 22. Saluabitur innocens.

Psalmista 36. psalmo. Custodi innocentiam: et vide equitatem. Psalmo 83. Non priuabit bonis eos: qui ambulant in innocentia dominus virtutum.

Tobias capitulo 4. Quod ab alio odis fieri tibi: inde ne alteri tum aliquando facias.

Uirgilius eneide libro 7. ante medium: Mille nocendi artes.

Tullius tusculanarum questionum libro 3. Innocentia est affectio talis animi que noceat nemini.

Ouidius de arte amandi libro i. Fraus absit vacuas credis habere manus.

Quintilianus declamationum 12. declamatione. Male heret ibi nocentia: vbi in potestate est secretum scelus.

Mattheus in euangelio capitulo 27. Dixit iudeis pilatus: quid faciam de iesu qui dicitur christus. Dicunt omnes: crucifigatur. Ait illis pilatus: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: crucifigatur. Uidens autem pilatus quia nil proficeret: sed magis tumultus fieret: accepta aqua lauit manus suas coram populo: **dicens**: Innocens ego sum a sanguine iusti huius: vos videritis.

Commented [CN11]: fol.26vb

Seneca tragediarum in edipo capitulo 14. et finali. Nemo fit fato nocens. In hercule theteo capitulo 8. Haud est nocens quicumque non sponte est nocens. Idem epistolarum ad lucillum libro 18. epistola 5. Securitatis magna portio est: nihil inique facere.

Lex digestorum titulo de operis noui nunciacione. l. de pupillo. §. si plurium. Non debet nocere factum alterius: ei qui nihil fecit. Titulo de aqua pluvie arcende. l. i. §. item ait: Aquam prodesse sibi vnusquisque dum alii non nocet nec prohibetur. Titulo de iniuriis. l. iniuriarum. §. i. Iuris executio non habet iniuriam.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 2. Te video solum dum possis aule nocere: / Nec prodesse tamen: sed petis vt noceas.

Auctor libri formule honeste vite capitulo 5. Amabis deum: si illum in hoc imitabis vt velis omnibus prodesse nulli nocere: et tunc te iustum virum appellabunt omnes: sequentur venerabuntur et diligunt: sicque merito iustus appellaberis. Iustus vt sis non solum non nocebis: sed etiam nocentes prohibebis.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo. Uitam beatam efficiunt tranquillitas conscientie et securitas innocentie. Libro 3. capitulo 5. Non latebra sapienti spes impunitatis est: sed innocentia.

Cecilius firmianus de beata vita libro 3. Inter summas hominis virtutes innocentia numeratur. Libro 4. In hoc iustitie summa consistit: vt non facias alteri quicquid ipsi ab altero pati nolis.

Augustinus in epigrammata prosperi emp. i. Innocentia vera est: que nec sibi nec alteri nocet. Emp. 75. Parum est nemini nocere: nisi studeatur multis prodesse.

Prosper sub vltimo capitulo. Insontem vitam pacis amator agit.

Cassiodorus epistolarum libro 6. epistola 16. Innocentia cuncta commendat. Libro 9. epistola 2. Uix audet quisque in illos excedere: in quibus culpas non potest inuenire. Epistola 3. Honesta sunt lucra per que nemo leditur. Epistola 10. Nullum **ledit** obseruata iustitia. Libro 11. epistola 8. In qua parte habet homo proficere: si innocentiam probatus fuerit amisisse.

Commented [CN12]: fol.27ra

Baldo 32. fabula: In te quicquid odis fieri molimine quo vis. Cuilibet arte mali caueas inferre sodali.

Bernardus libro de improbatione vitiorum capitulo 3. Uir sapiens prodesse cupit nec ledere quemquam. Mitibus et gratis: nemo nocere solet.

#### De iniuria seu contumelia et offensione: Rubrica 5

In exodo capitulo 29. Non occides: non mechaberis.

In leuitico capitulo 19. Non facies calumniam proximo tuo: nec vi opprimes eum.

Moyses in deuteronomio capitulo 20. Quando obsederis ciuitatem multo tempore: et munitioibus circumdederis: vt expugnes eam: non succides arbores de quibus vesci potest: nec securibus per circuitum debes vastare regionem: quoniam lignum est et non homo: nec potest bellantium contra te augere numerum. Si qua autem ligna non sunt pomifera sed agrestia et in ceteros apta vsus: succide et instrue machinas donec capias ciuitatem que contra te dimicat. Capitulo 27. Maledictus qui accipit munera vt percutiat animam sanguinis innocentis.

Salomon in prouerbiis capitulo 20. Omnes stulti miscentur contumeliis. Capitulo 22. Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui. Capitulo 24. Ne insidieris et queras impietatem in domo iusti: neque vastes requiem eius: septies enim cadet iustus et resurget.

Tobie capitulo 4. Quod ab alio odis fieri tibi vide ne alteri tu aliquando facias.

Aristoteles rethoricorum libro 2. capitulo 4. Causa delectationis contumeliantibus est: quia putant quod ipsi male agentes excedant magis: propter quod et iuuenes et diuites contumeliosi sunt: excedere enim putant contumelias inferentes.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 10. Nihil agas in operibus iniurie. Capitulo 21. Obiurgatio et iniurie annullabunt substantiam.

Salustius in catilinario: Nulli mortalium iniurie sue parue videntur: multi eas grauius equo habuere.

Catullus capitulo 9. Ne nimium simus stultorum more molesti.

Tullius tusculanarum questionum libro 5. et finali. Accipere quam facere prestat iniuriam.

Quidius de arte amandi libro 3. et finali. Quelibet extinctos iniuria suscitatur ignes.

Quintilianus declamationum 4. declamatione. Contumeliam humilitas facilius intelligit: dignitas grauius.

Paulus apostolus: epistola ad galathas capitulo 5. Si inuicem mordetis et comedetis: videte ne ab inuicem consumamini.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 13. epistola 6. Animo et beneficia et iniurie constant. Libro 16. epistola 2. Iniuriarum remedio est obliuio. Epistola 3. et finali. Miserius est nocere quam ledi. Libro 17. epistola 2. Tuta scelera esse non possunt. Proprium est nocentium trepidare. Libro 18. Nulli non ad nocendum satis virium est. Seneca de clementia: Pestifera vis est valere ad

Commented [CN13]: fol.27rb

nocendum. Idem de moribus: Iniuriarum memoria tenax est. Idem in prouerbiis. Multis minatur qui vni facit iniuriam.

Lucanus libro 8. Ius et fas multos faciunt tolomee nocentes.

Lex digestorum titulo ad lege acquilis l. qui occidit. §. pe. Qui occasionem damni prestat: damnum dedisse videtur. Titulo comodati. l. ad eos: Qua cura vel diligentia consequi possumus: ne ab aliquo damnum nobis iniuria detur. Titulo de regulis iuris l. infrascriptis. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Iure naturali: Equum est neminem cum alterius detrimento vel iniuria fieri locupletiozem. Lex codicis titulo de statu et imaginibus. l. fi. Aliorum honores aliis damnorum occasionem fieri non oportet. Titulo de inofficioso testamento l. siquis suo: Iniquum est vt alieno odio alius pregrauetur.

Cecilius firmanus de beata vita libro 3. In hoc iustitie summa consistit: vt non facias alteri quicquid ipse ab altero pati nolis.

Prosper sub vltro capitulo. Quod sibi quis nolit fieri: non inferat vlli.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 11. Quid est quod in alium facere quisque possit quod ab alio sustinere ipse non possit. Libro 4. capitulo 7. Ualidis rationum nititur argumentis infeliciores eos esse qui faciunt quam qui patiantur iniuriam.

Commented [CN14]: fol.27va

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 14. Peritie sunt semper iniuriis facultates absentium. Epistola 29. Quid discrepat a peccante qui se per excessum nititur vindicare. Libro 4. epistola 14. Magni peccati genus est alienis debitis alterutrum pregrauare. Sua quemque damna respiciant. Epistola 27. Detestabilis est omnis iniuria. Malorum omnium probatur extremum inde detrimenta suscipere vnde credebantur auxilia prouenire: exaggerat enim culpam in contrarium versa crudelitas: et maius reatui pondus est inopinata deceptio. Libro 5. epistola 43. Grauius siquidem dolet iniuria que contigerit insperata: si inde proueniat dolus vnde credebatur auxilium prouenire.

Uersificator fabularum esopi 2. fabula. Nocet innocuo: nocuus causamque nocendi / Inuenit.

Fabula 34. Quod tibi non vis: aliis fecisse cauebis. / Uulnera ne facias: que potes ipse pati.

Bernardus de improbatione vitiorum capitulo 3. Sepe nocuus obest sibi: non cui credit obesse.

Gaufredus in poetria capitulo 200. Quando nocem potes: noli satis est nocuisse posse nocere.

Iacobus beneuentanus capitulo 2. Quod tibi non vis: tu illud ne feceris vlli. / Sed facias aliis quod cupis ipse tibi.

Auctor libelli qui incipit astrolabi: Quod tibi tu non vis fieri: non feceris vlli. / Quod fieri tibi vis: hoc quoque fac aliis.

Montenarius in luna cleri capitulo 116. Sauciat hostili fraternus acerbis ensis.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Puluere qui sedit: scribit in marmore lesus. Est offensa grauis nimium peritura dolorem. Cum mihi qui debet commodus esse nocet.

#### De licita defensione: Rubrica 6

Lex digestorum titulo de iustitia et iure l. 3. Hoc iure euenit: vt quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit iure secisse existimetur. Titulo ad legem acquiliam. l. 3. Aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere. Titulo de bonis eorum qui ante sententiam. l. i. Ignoscendum est his qui sanguinem suum qualitercunque redemptum voluerunt.

Lex codicis titulo quando liceat sine iudice vindicare. l. i. Melius est in tempus occurrere quam post exitum vindicare. Titulo in quibus causis in integrum restitutio non est neccearia. l. fi. Melius est intacta iura seruare quam post causam vulneratam remedium querere. Titulo ad legem corneliam de sicariis. l. siquis percussorem: Defensor proprie salutis: videtur nullo peccasse.

Uegecius de re militari libro 3. titulo 3. Diuitiarum segura non est possessio: vbi armorum defensione seruitur. Libro 4. titulo 8. Oppugnantium machinis per alias machina consueuit.

Cassiodorus epistolarum libro 9. epistola 25. Ille defensor proprie dicendus est qui tuetur innoxie.

Commented [CN15]: fol.27vb

#### De voluntario et inuoluntario: Rubrica 7

Aristoteles ethicorum libro 3. capitulo 3. Uoluntarium videbitur vtique esse cuius principium in ipso est. Sciente singularia in quibus est operatio: Beatus quidem nullus nolens est. Uirtus voluntarium est nihil minus et malitia voluntarium est. Uoluntarie sunt virtutes: etenim habituum sunt concause. Libro 5. capitulo 7. Dico voluntarium quod aliquis in seipso existentium sciens et no ignorans operatur. Iustum operari omne voluntarium est. Leditur quidem vtique aliquis nolens: et iniusta patitur. Iniustum patitur nullus nolens. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 17. Uidetur secundum virtutem et malitiam esse voluntarium. Capitulo 18. Uoluntarium est quod operamur non coacti. Operatis ex necessitate sequitur tristitia. Operatis vero per concupiscentiam delectatio sequitur. Capitulo 19. Iniustum facientes nolentes iustum faciunt. Capitulo 64. Iusta et iniusta operantur volentes. Nemo voluntarius ledi sustinet. Idem rethoricorum libro i. capitulo 18. Uolentes faciunt quecunque scientes et non coacti. Capitulo 19. Uoluntas est cum ratione appetitus: nullus enim vult nisi cum putauerit esse bonum. Irrationalis autem appetitus ira et concupiscentia. Libro 2. capitulo 4. Nullus ea que sibi apparent impossibilia appetit. Capitulo 6. Pugnantes contraria videntur velle. Capitulo 16. Acute sunt voluntates iuuenum et non magne. Capitulo 19. Nullus impossibilia affectat neque concupiscit vt in pluribus. Omnes cum potentes velint agunt. Idem politicorum libro 5. capitulo 7. Que volunt potentes agunt omnes. Idem de anima libro 3. Uoluntas appetitus est.

Terentius in heutontumerumenon capitulo 17. Nulla est tam facilis res quin difficilis fiet quam inuitus faciat.

Tullius rethoricorum artis noue libro 2. capitulo 7. Uoluntario facinori nulla est excusatio: imprudentie et iusta deprecatio parata est. Idem philippicorum libro 6. Nolite velle quod fieri non potest.

Commented [CN16]: fol.28ra

Seneca epistolarum ad lucillum libro 7. epistola 8. Da operam ne quid vnquam inuitus facias. Quicquid futurum est necesse est futurum repugnanti. In volentem necessitas non est. Qui imperia libens excipit partem acerbissimam seruitutis effugit. Non qui iussus aliquid facit miser est: sed qui inuitus facit. Sic animum componamus vt quicquid res exigit id velimus. Libro 8. epistola i. Nihil honestum est quod ab initio quidem a coacto fit. Omne honestum voluntarium est. Libro 13. epistola 6. Animo et beneficia et iniurie constant. Libro 16. capitulo 3. et finali. Actio recta non erit: nisi recta fuerit voluntas. Ab hac enim actio est. Idem de moribus. Omne peccatum actio est voluntaria.

Lex digestorum titulo de iurisdictione omnium iudicium. l. sed per errorem: Non consentiunt qui errant. Quid enim tam contrarium est consensui quam error qui imperitiam detegit. Titulo de pactis. l. i. in principio. Quid tam congruum est fidei humane quam ea que inter eos placuerunt seruare. Lex codicis titulo ad legem corneliam de sicariis. l. i. Crimen committitur si et voluntas nocendi intercedat.

Valerius maximus libro 9. capitulo 9. Error non sua sponte: sed vanis incitatus imaginibus culpe se implicat.

Boetius de consolatione libro 4. capitulo 3. Duo sunt quibus humanorum actuum constat effectus voluntas scilicet et potestas: quorum si alterum desit nihil est quod explicari queat.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 37. Non est beneficium quod prestat inuitis: nec cuiquam vtile quod aduersa voluntate conceditur. Libro 4. epistola 7. Iniquum est vt hominis vitio deputetur quod eius voluntate non regitur. Libro 5. epistola 39. Suspectum est quod patiuntur nolentes: nam hoc est re vera beneficium si sine murmure feratur acceptum.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. Nihil potest caro facere nisi quod voluit animus.

Andreas ad gualterium de amore libro i. Maioribus censetur meritis dignus qui bona spontanee peregit: quam qui ea coactus exercuerit.

#### De intentione et facto: Rubrica 8

Regum libro i. capitulo 16. Deus intuetur cor.

Tullius rethoricorum artis veteris: libro i. capitulo 12. His qui imprudentes leserunt ignosci conuenit. Libro 2. capitulo 3. Quo animo quidquisque faciat: non quo casu vtatur ad rem pertinet. Idem rethoricorum artis noue libro 2. capitulo 4. Uoluntatem in omnibus rebus spectare conuenit. Que consulto facta non sunt ea fraudi esse non oportet. Capitulo 7. Uoluntario facinori nulla est excusatio imprudentie: et iusta deprecatio parata est.

Ouidius de ponto libro 3. epistola 4. Ut desint vires: tamen est laudanda voluntas. Libro 4. et finali epistola 8. Sed qui quod potuit dat maxima gratus abundus est.

Paulus apostolus: epistola 2. ad corinthios capitulo 8. Si voluntas prompta est: secundum id quod habet accepta est.

Commented [CN17]: fol.28rb

Seneca epistolarum ad lucillum libro 2. epistola 5. Consilium rerum omnium sapiens spectat non exitum.

Iuuenalis libro 5. et finali satira i. Has patitur penas peccandi sola voluntas. Nam scelus intra se tacitum qui cogitat vllum: Facti crimen habet ceu si conata peregit.

Lex digestorum titulo ad legem corneliam de sicariis. l. diuus: In maleficiis voluntas spectatur non exitus.

Cassiodorus epistolarum libro 9. epistola 3. Omnis actus in qualitate propositi est.

Gregorius in pastorali capitulo 57. Non tam prae facta dominus quam studia prauitatis insequitur: in factis enim sepe infirmitate: sepe negligentia: in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur.

Isidorus soliloquiorum libro 2. capitulo 54. **et** antepenultimo. Tale erit opus tuum: qualis fuerit intentio tua.

Uersicator fabularum esopi 40. fabula. Operum debetur gratia menti. Nam operi gratum: mens bona reddet opus. Nemo licet prosit: nisi vult prodesse meretur. Nam prodesse potest hostis obesse putans.

Mattheus vindocinensis de hystoria thobie capitulo 31. Non tibi quid dabitur: sed cum intellige: quia / Sola voluntatis forma moneat opus.

Prouerbum metricum extraordinem librorum vagantia. Quicquid agant homines: intentio iudicat omnes.

Prouerbum vulgare. Al bon voler de dio da bon secorso.

#### De errore et facti et erronea estimatione: Rubrica 9

Moises in deuteronomio capitulo 27. Maledictus qui errare facit cecum in itinere.

Quintilianus declamationum 9. declamatione. Tenuis rerum imagines solent cogitationibus accipere corpus cum vane absentis animo cogitationes finguntur.

Lex digestorum titulo de iurisdictione omnium iudicium l. si per errorem. Non consentiunt qui errant: quid enim tam contrarium est consensui quam error qui imperitiam detigit. Titulo de iuris et facti ignorantia l. 2. Facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallit. Titulo de suppellectili legata. l. labeo. §. fi. Nemo existimandus est id dixisse quod mente non agitauit. Titulo ad legem iuliam maiestatis. l. famosi. §. i. Lubricum lingue facile: ad penam trahendum non est. Titulo de regulis iuris. l. infrascripta: Non videtur qui errat consentire.

Ualerius maximus libro 9. capitulo 9. Error non sua sponte: sed variis incitatus imaginibus culpe se implicat.

Auctor de formula honeste vite capitulo 4. Errori facile veniam dato.

Commented [CN18]: fol.28va

Andreas ad gualterium de amore libro i. Fas est ab errato discedere et ab eo quod quisque minus recte persenserit resipiscere.

Prouerbium metricum extraordinarium vagantia. Ubi parua rerum forsitan nec torques habetur.

Prouerbium vulgare: Tal se cre segnare: che se dea del deo enloio. El passu non cre alzano.

Commented [CN19]: fol.28vb

#### De assensu permissione et prohibitione: Rubrica 10

Seneca tragediarum in troade capitulo 4. Qui non vetat peccare cum possit iubet.

Lex digestorum titulo. de regulis iuris. l. infrascriptis: Non videtur qui errat consentire. Nemo videtur fraudare eos qui sciunt et consentiunt.

#### De necessitate: Rubrica 11

Aristoteles magnorum moralium libro i. capitulo 17. Operatis ex necessitate sequitur tristitia. Operatis vero per concupiscentiam delectatio sequitur.

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 12. His qui necessario profuerunt haberi gratiam non oportet.

Quintilianus declamationum 6. declamacione. Omnium beneficiorum ista natura est: vt non fit necessitas sed potestas. Declamacione 13. Exasperant necessitates.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 7. capitulo 8. Sic animum componamus: vt quicquid res exigit id velimus.

Lucanus libro 4. Cupias quodcunque necesse est.

Paladius de agricultura capitulo 6. Necessitas feriis caret.

Lex digestorum titulo de adimendis et transferendis legatis. l. rem legatam. Nemo in necessitatibus liberalis existit.

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 5. Grande commodum est cum indigentibus pacisci: quando famis totum solet contemnere vt suam necessitatem possit explere. Capitulo 3. Necessitas moderata non diligit. Libro 9. capitulo 13. Sub quadam excusatione peccare creditur: cui necessaria non prebentur. Dum mater criminum necessitas tollitur: peccandi ambitus auferetur.

Andreas ad gualterium de amore li. i. Importuna necessitas nulla potest iuris regula coartari.

Mattheus vindocinensis in poetria parte 2. capitulo 3. Necessitas non habet legem.

Prouerbium vulgare. El bisogno fa trotar laueia. / El bisogno fa far cosa dablasmare. / El bisogno caza ellouo den lo bosco. / Can per fame fa forame.

Commented [CN20]: fol.29ra

## De violentia et coactione: Rubrica 12

Moises in deuteronomio capitulo 24. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam: quam debet tibi: non ingrediaris domum eius vt pignus auferas: sed stabis foris: et ille tibi proferet quod habuerit.

Salomon in prouerbiis capitulo 22. Non facies violentiam pauperi: quia pauper est: neque conteres egenum in porta: quia dominus iudicabit causam eius.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 6. scilicet de biante: Bians vnus de septem sapientibus ait: persuadens accipe non violans.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 2. Preter naturam est violentia. 25. capitulo et finali. Nihil minus coacti falsa dicunt quam vera: et pertinaces non dicere vera: et facile mentientes tanquam requiescuntur celerius. Idem polliticorum libro i. capitulo 2. Iustum violentum non est. Libro 5. capitulo 16. Si per fraudem principatur aliquis: vel per violentiam: iam hic videtur tyrannus esse. Non volentibus mox non est rex sed tyrannus. Idem ethicorum libro 3. capitulo i. Uidetur violentum esse: cuius extrisecus principium est: nihil conferente vim passo. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 17. Uoluntarium est quod operamur non coacti. Operatis ex necessitate sequitur tristitia. Libro 2. capitulo 4. Tristitia est in his que per coactionem sunt.

Terentius in adelphis: Que sententia imperium credat grauius aut stabilius in quod fit: quam id quod amicitia adiungitur.

Ouidius de tristibus libro 5. emp. 9. Cedit viribus equum. Uitaque pugnaci iura sub ense iacent. Epistola 12. Adde quod iniustum rigido ius dicitur ense. / Dantur in medio vulnere sepe foro.

Quintilianus declamationum 5. declamatione. Habet pietas impetum suum: nec vllum dominum nouit effectus. Declamatione 6. Quicquid in honorem alicuius inuentum est: desinet priuilegium vocari posse si cogas. Genus seruitutis est coacta libertas.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 8. capitulo i. Nihil honestum est quod ab initio quidem a coacta fit. Idem **de** tranquillitate animi: Male respondent coacta ingenia. Idem tragediarum in troade capitulo 4. Uiolenta nemo imperia continuit diu. In octauia capitulo 10. Quicquid exprimitur graue est.

Lex digestorum titulo de eo quod metus causa. l. i. Uis est maioris rei impetus: qui repelli non potest. Titulo ad legem acquiliam. l. scienciam. §. pe. Uim vi repellere omnes leges omniaque iura permittunt. Titulo de actionibus empti et venditi. l. si ea res. Custodia aduersus vim parum proficit.

Macrobius saturnaliorum libro 2. capitulo 18. exautior liberii: Potestas non solum si inuitetur: sed etsi supplicet cogit.

Cassiodoris epistolarum libro 2. epistola 27. Nemo cogitur vt credat inuitus. Libro 4. epistola 10. Quid a bellica confusione pax tranquilla distabit si per vim litigia terminentur. Libro 11. epistola 9. Nullus ad violenta confugiat.

Claudianus libro i. Peragit tranquilla potestas / Quod violenta nequit: mandataque fortius vrget / Imperiosa quies.

Commented [CN21]: fol.29rb

Andreas ad gualterium de amore libro i. Maioribus censetur meritis dignus qui bona sponte peregit quam qui ea coactus exercuerit. Coacta nemini sunt grata obsequia: et nullis digna premiis vindicantur.

Prouerbiū vulgare: Forza venne raxone. / La forza e leze cessa. / El ziga la rana: chi ie mette el pe adosso.

### De culpa et excusatione: Rubrica 13

Tullius rethoricorum artis veteris libro i. capitulo 12. His qui imprudentes leserunt ignosci conuenit. Libro 2. capitulo 5. Nihil est indignius quam eum qui culpa caret supplicio non carere. Idem rethoricorum artis noue libro 2. capitulo 7. Uoluntario facinori nulla est excusatio: imprudentie et iniusta deprecatio parata est. Idem inuectiua in salustium. Non procacitate lingue sordes eluuntur.

Seneca tragediarum in epido capitulo 14. et finali. Nemo fit fato nocens. In hercule etheo capitulo 8. Error a culpa vacat. Idem epistolarum ad lucillum libro 19. epistola 10. Vitia nostra quia amamus defendimus: et malumus excusare illa quam excutere. Idem declamationum libro 7. in proemio. Hoc equale omnium est vt vitia sua excusare malint quam effugare. Idem de naturalibus questionibus libro 4. Nihil tam manifeste vtilitatis est quod non incontrarium transeat culpa.

Ualerius maximus libro 9. capitulo 9. Error non sua sponte: sed vanis incitatus imaginibus culpe se implicat.

Lex digestorum titulo ad legem iuliam maiestatis. l. famosi. § i. Lubricum lingue facile ad penam trahendum non est. Titulo de regulis iuris. l. infrascriptis. Culpa est immiscere rei ad se non pertinenti. Imperitia culpe annumeratur.

Cecilius firmianus de beata vita libro 6. Natura hominum procliuis in vitia videri vult: non modo cum venia: sed etiam cum ratione peccatur.

Prosper sub vltimo capitulo. Insontem vitam: pacis amator agit.

Cassiodorus epistolarum libro 4. epistola 7. Iniquum est vt hominis vitio deputetur quod eius voluntate non regitur. Libro 5. epistola 36. Non est ignaue culpa quam excusat miseranda calamitas. Libro 9. epistola 2. Uix audet quisquam in illos exercere: in quibus culpas non potest inuenire.

Andreas capellanus ad gualterium de amore libro i. Importuna necessitas nulla potest iuris regula coartari.

Montenarius in luna cleri capitulo 82. Auget non minuit mala consuetudo reatum.

Gualterius de castellione libro 3. Uis illata leuat minuitque coactio culpam.

Proverbiū metricē extraordinem librorum vagantia. Ultra posse suum nullum lex equa coegit.

Commented [CN22]: fol.29va

#### De iustitie naturalis iudicio: Rubrica 14

Job historia capitulo 8. Tabernaculum impiorum non subsistet. Capitulo 11. Oculi impiorum deficient: et refugium peribit ab eis. Capitulo 18. Lux impii extinguetur: nec splendet ignis eius. Artabuntur gressus virtutis impii: et precipitabit eum consilium suum. Capitulo 20. Laus impiorum brevis est: et gaudium hypocrite ad instar puncti.

In genesi capitulo 9. Quicumque effuderit humanum sanguinem: fundetur sanguis illius.

Psalmistis 7. Psalmo. Consumetur nequitia peccatorum et diriges iustum: scrutans corda et renes deus. Psalmo 31. Multa flagella peccatoris. 33. psalmo. Oculi domini super iustos: et aures eius in preces eorum. Uultus autem domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum. Mors peccatorum pessima. 36. psalmo. Noli emulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fenum velociter arescent: et quemadmodum olera herbarum cito decident. Qui malignantur exterminabuntur. Brachia peccatorum conterentur. Iunior fui etenim senui: et non vidi iustum derelictum: nec semen suum querens panem. Iniusti punientur: et semen impiorum peribit. Iusti autem hereditabunt terram: et inhabitabunt in seculum seculi super eam. Considerat peccator iustum et querit mortificare eum: dominus autem non derelinquet eum in manibus eius. Uidi impium superexaltatum et eleuatum sicut cedros libani: et transiui: et ecce non erat: et quesui eum et non est inuentus locus eius. Iniusti disperibunt: simul reliquie impiorum interibunt. Salus iustorum a domino: et protector eorum in tempore tribulationis: et adiuuabit eos dominus et liberabit eos: et eruet eos a peccatoribus et saluabit eos: quia sperauerunt in eo. Psalmo 54. Dominus non dabit in innocentia dominus virtutum. 91. psalmo. Dispergentur omnes qui operantur iniquitatem. Iustus ut palma florebit: ut cedrus libani multiplicabitur. 111. psalmo. In memoria eterna erit iustus. 149. psalmo. Dominus iustus concidet ceruices peccatorum. 160. psalmo. Uirum iniustum mala capient in interitu.

Salomon in prouerbiis capitulo 2. Custodiet dominus rectorum salutem: et proteget gradientes simpliciter. Qui recti sunt habitabunt in terra: et simplices permanebunt in ea. 3. capitulo. Egestas a domino in domo impii: habitacula autem iustorum benedicentur. 4. capitulo. Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem. Uia impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant. 5. capitulo. Iniquitates sue capient impium: et finibus peccatorum suorum constringetur. 10. capitulo. Benedictio domini super caput iusti. Qui ambulat simpliciter: ambulat confidenter. Quasi tempesta transiens non erit impius. Iusti autem quasi fundamentum sempiternum. Timor domini apponet dies: et anni impiorum abbreviabuntur. Spes impiorum peribit. 11. capitulo. Simpliciter dirigit eos: et supplantatio peruersorum vastabit illos. Iustitia simpliciter dirigit viam eius: et in impietate sua corruet impius. Iustitia rectorum liberabit eos: et in insidiis suis capientur iniqui. Sectator malorum preparat mortem. Qui inuestigator malorum est opprimetur ab eis. Qui bonus est: hauriet a domino gratiam. Non roborabitur homo ex impietate. Propter peccata labiorum: ruina proximat malo. Non inueniet fraudulenter lucrum. In semita iustitie vita. 13. capitulo. Iustitia custodit innocentis viam: impietas vero peccatores supplantat. Peccatores persequetur malum: et iustis retribuentur bona. 14. capitulo. Domus

Commented [CN23]: fol.29vb

Commented [CN24]: fol.30ra

impiorum delebitur: tabernacula iustorum germinabunt. Misericordia et veritas preparant bona. Iustitia eleuat gentem: miseros facit populos peccatum. 15. capitulo. Domum superborum demolietur dominus. 16. capitulo. Cum placuerint domino vie hominis: Inimicos quoque eius conuertet ad pacem. Qui recta loquitur dirigetur. Contritionem precedit superbia: et ante ruinam exaltatur spiritus. 17. capitulo. Qui reddit mala pro bonis: non recedet malum de domo eius. 22. capitulo. Qui seminat iniquitatem: metet mala. Qui pronus est ad misericordiam: benedicetur. Cui iratus est dominus: incidet in foueam. 24. capitulo. Septies cadet iustus et resurget. Impii corrunt in malum. Lucerna impiorum extinguetur. 26. capitulo. Qui fodit foueam: incidet in eam. Idem in ecclesiastice dicit 10. capitulo. 28. capitulo. Qui ambulat simpliciter: saluus erit. 29. capitulo. Peccantem virum iniquum: inuoluet laqueus. Iusti ruinam impiorum videbunt. Clipeus est dominus sperantibus in se. Idem in ecclesiastice capitulo 3. Iustum et impium iudicabit dominus.

Thobie historia capitulo 4. Multa bona **habebimus** si timuerimus deum: et recesserimus ab omni peccato: et fecerimus bonum.

Commented [CN25]: fol.30rb

Esaias propheta capitulo 3. Iustus fructum ad inuentionum suarum comedet. Uhe impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. 33. capitulo. Uhe qui predaris: nonne et ipse predaberis.

Hieremias propheta librorum prophetarum capitulo 50. et antepenultimo. Cadet superbus et corruet: et non erit qui suscitet eum.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo 6. Malum seipsum destruit.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 2. Uhe manibus malefacientibus. 6. capitulo. Improperium et contumeliam malus hereditabit. Capitulo 7. Noli facere mala: et non te apprehendent. 10. capitulo. Regnum a gente in gentem transfertur propter iniustitias et iniurias et contumelias et diuersos dolos. Capitulo 20. Qui operatur iustitiam ipse exaltabitur. 21. capitulo. Substantia superbi eradicabitur. 27. capitulo. Facienti nequissimum concilium super ipsum deuoluetur et non agnoscat vnde veniat illi illusio. 40. capitulo. Substantie iniustorum sicut fluuius siccabitur.

Philon in libro sapientie capitulo i. In maliuolam animam non introibit sapientia: nec inhabitabit in corpore subdito peccatis. Capitulo 3. Nationes inique dire sunt consumationis. 7. capitulo. Iniustitia est mortis acquisitio.

Mattheus in euangelio capitulo 26. Omnes qui acceperint gladium: gladio peribunt.

Petrus apostolus epistola i. capitulo 2. Quis est qui vobis noceat: si boni emulatores fueritis.

Paulus apostolus in epistola ad galathas capitulo 6. et finali. Que seminauerit homo: hec et metet. Idem epistola ad colossenses capitulo 3 et penultimo. Qui iniuriam facit: recipiet id quod inique gessit. Idem epistola i. ad timotheum capitulo 3. Qui bene ministrauerint: gradum sibi bonum acquirent.

Iohannes in apocalipsi captulo 13. Qui gladio occiderit: oportet eum in gladio occidi.

Seneca tragediarum in hercule furente capitulo 5. Quod quisque fecit patitur: auctorem scelus repetit: suo premitur exemplo nocens. In thieste capitulo 3. Sepe in magistrum scelera redierunt. sua. **In** hercule hertheo capitulo 8. Nocens videri qui petit mortem cupit. Idem epistolarum ad lucillum libro 16. epistola 2. Ab alio expectes alteri quod feceris.

Commented [CN26]: fol.30va

Lex codicum titulo de episcopali audientia 1. nemo deinceps: Maleficus: veneficus: adulter: violatorque monete: homicida: parricida: quod fecit semper expectet.

Lucanus libro 8. Facere omnia seue: Non impune licet.

Ualerius maximus libro i. titulo de neglecta religione capitulo 2. Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira: Ultimo tarditatemque supplicii grauitate compensat.

Cato capitulo 3. Indulget fortuna malis vt lede re possit. Capitulo 5. et finali. Sepe etenim deus iniustas vliscitur iras.

Boetius de consolatione libro 8. capitulo 5. Perspicuum est nunquam bonis premia: nunquam sua sceleribus deesse supplicia.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 2. Omnia siquidem bona suis sunt iuncta cum fructibus: nec credi potest virtus que sequestratur a premio. Libro 6. epistola 20. Ignorantes accipiunt qui bene agunt. Libro 10. epistola 16. Remunerator est omnium bonorum deus.

Gregorius in pastoralibus capitulo 18. Tanto apud deum obligatiores sumus quanto apud homines inulte peccamus.

Isidorus in sinonima soliloquiorum libro 2. Mens male conscientie propriis agitatur stimulis.

Uersificator fabularum esopi 46. fabula. Fine malo claudi mala vita meretur iniquus. / Qua capit insontes: se dolet arte capi.

Baldo 7. fabula. Omne retorquetur quicumque dolere videtur.

Heinricus samariensis libro i. parte i. Nam ferit auctorem sepe sagitta suum.

Gaufredus in poetria capitulo 9. Lex est eque dolum: referire dolore dolosum / In caput vnde fuit egressus habere regressum. Capitulo 22. Sepe sagittantem didicit referire sagitta. Inque reum plage: conuersa recurrere plaga.

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 39. Parcus semine pauca metes.

Auctor libelli de moribus medicorum: Stare diu nequeunt qui mala semper agunt.

Bellinus in speculo vite parte i. ex. i. Omne malum tandem punitur: et omne superbum / Deprimatur virtus viuere sola solet. Particula 2. ex. 2. Digne quicquid homo seminat illud habet.

Prouerbum vulgare. Chi fa quel chi non de: elge nauem quel chi non cre. / De can rabioso non senple villa. / El mal dura mel no regna. / Ogno groppo vene al petente. / Pecha vere fa noua vendetta.